omnem masculum a sene usque ad parvulum in ore gladii peremerunt, foeminas reservantes. Deinde pariter sine masculorum consortio vivere decreverunt et duas reginas elegerunt, quarum una procedens contra hostes bellicis rebus operam daret, altera autem rempublicam gubernaret. Effectae sunt autem tam fortes et feroces bellatrices in brevi, quod de Europa ascenderunt in Asiam, et horridis ibi bellis gestis magnam Asiae partem per centum annos tenuerunt nullum penitus masculum inter se vivere permittentes, sed vocatis ad se certo tempore anni vicinis viris et cognitae ac impraegnatae ab eis a se repulerunt, masculos a se genitos vel mactaverunt, vel extra earum regionem miserunt et filias ad sagittandum et venandum informabant, quarum mammas in septimo anno exurebant, ne grossitia impedirentur in ferendis armis; ideo dicuntur Amazones, id est, sine mamma. Cum his pugnavit Hercules, et post eum Achilles, Alexander autem bonitate, amore et benignitate eos vicit; gladio numquam vicisset, quia fuerant fortunatissimae in bellis. Dicitur etiam, quod nostram Augustam proeliis laceraverunt, cum cives eis resistere conarentur. De his loquens Orosius L. 1. C. 60. post multa infert: pro dolor, pudet erroris humani, mulieres patria profugae Europam et Asiam, et plurimas mundi partes fortissimasque intraverunt, pervagatae sunt, deleverunt centum paene annis evertendo urbes plurimas atque alias constituendo tenuerunt.

Alia regio Sclavoniae est Polonia, hodie grande regnum. Alia Ruthena, concordans cum Boëmis et Sclavis in idiomate. Alia Moesia, quae ab oriente ostiis Danubii jungitur. Alia regio Sclavoniae est Dalmatia, de qua nunc est propositum, et haec etiam est per diversas nationes in se divisa. Nam Dalmatiae pars est Croatia et Histria et Pannoniae pars magna etc. Et dicta est Dalmatia a Dalin, civitate ejus magna. Nonnumquam etiam dicitur Illyridis vel Illyricum, et hoc in quantum ad Graeciam pertinet, quia secundum Isidem 14. Ethic. C. 4. generaliter omnis Graecia Illyricus dicitur. In se ergo Dalmatia dicitur Dalmatia proprio nomine; a Graecia autem dicitur Illyricus; a Sclavonia autem dicitur saepe Sclavonia.

Cursula, Dalmatiae insula, olim Corcyra nigra dicta, est civitas, sita in uno promontorio, firma et fortis, et est Venetorum, pertinens ad principatum Dalmatiae, in qua est episcopus Cursu-

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;